





<sup>1725 T 10 a</sup>  
<sup>xxxv.</sup>  
<sup>240. 10</sup>  
FACVLTATIS JVRIDICÆ  
IN ALMA AC PERANTIQVA VNIVERSI-  
TATE ERFORDIENSI

DECANVS,  
JOH. HENRICUS  
*Weier, JC* TVS,

ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIAN. DECRE-  
TAL. PROF. PVBL. VNIVERSIT. SENIOR,  
NEC NON JVDIC. PROVINC.  
ASSESS. PRIMAR.


LECTORI BENEVOLO


S. & O.

*de usu fronte*

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS GROSCHIANIS, ACAD. TYPOGR.





**J**ura, quā involvunt respectum vel ad patrimonium, vel nosmet ipsos, prædicari possunt moralis facultas authoritate Legis, factōrē hominis indita, quā nobis vel res sunt obnoxiae, vel de iis pro arbitrio disponere fas est, vel ad dandum, faciendumve, vel ad præstandum agere possumus; atque tale jus referendum ad juris in re species, vel ad jus ad rem, seu Obligationis. Quorsum & inclinat Ususfructus, qui, uti absolute ad sui subsistentiam, sc. subjective personam desiderat, indigitatur servitus personalis; quippe sine personā ne concipi quidem potest, ac proptercea salutatur jus personalissimum, dum & cum persona extinguitur: objective tamen acceptus ususfructus etiam denotat jus reale, ac si esset jus prædiorum & servitus realis, ut non minus fructarius hic confessoriā actione usumfructum, quām vicinus prædiolum vindicare possit servitutem; ut ipsi plenissimē hoc suo jure, ad imitationem frugi patrisfamilias, uti fruī liceat; modo abstineat à rei fructuariæ mutatione & alienatione, licet alias liberiore utendi friendi facultate, proprietario penē similis videatur; cui & usum-

fructum attribuit Paulus Ictus in l. 126. §. 1. ff. de V. O.  
l. 4. & l. 63. de usfr. ubi acutè docet, quòd ususfructus  
comitetur, putà materialiter, proprietatem; hinc enata  
est distinctio inter causalem & formalem usumfructum,  
cui notabili textui & in l. 19. ff. de usfr. legat. accedit Mo-  
destinus J Ct. Rom. Attamen plura ususfructus con-  
fectaria sunt eidemque propria, non semper proprietati  
communia; quòd, uti jam antè attigimus, fructuario nec  
quicquam rem fructuariam, ne quidem in melius, per  
l. 44. ff. de usfr. mutare licet, fortè ne videatur interver-  
tere velle domino proprietatem, sibiique causam posses-  
sionis, in istius præjudicium mutare & præscribendi oc-  
casionem quærere. Sic quoque Legati ususfructus dies  
non cedit ante aditam hereditatem, quia haec tenus defuit  
proprietarius, necessitate relationis necessarius; facta  
autem additione, ipso jure ususfructus à proprietate sepa-  
ratus intelligitur arg. §. 5. Inst. do oblig. que ex qs. contr.  
secus obtinet in Legato certæ rei propriæ, cuius pro-  
prietas, quā primum haec in persona Legantis mor-  
te extinta est, sine aliquo temporis interfitio, conti-  
nuatur in Legatario; propterea & hocce legatum, abs-  
que ullo legatarii facto, solā juris autoritate acquisi-  
tum inter modos acquirendi civiles connumeratur.  
§. 2. Inst. de legat. l. 1. Cod. commun. de legat. Adhuc id  
singulare observatur in usufructu ædium, seu domus, le-  
gato, cuius superficies si incendio sit extinta, ne qui-  
dem remanet in areā; secus obtinet in pignore, em-  
phyteusi & dominio, in quibus & jus acquisitum afficit  
ipsum solum, l. 29. §. 2. ff. de pignor. l. 21. ff. de pign. act.  
De his & similibus ad L. 15. §. ult. ff. de usfr. &  
quemadm. legaliter & fusiūs dissertaturus est

NO-

NOBILIS ET CLARISSIMVS  
DOMINVS  
**M. FRANCISCVS CAROLVS  
CONRADI.**

Iste natus est Reichenbachii apud Variscos, anno hujus  
seculi altero, Patre, Viro Prænibili ac Consultissimo,  
**CAROLO SIGISMVNDO CONRADI**, Potentiss. Re-  
gi Polon. & Seren. Electori Saxonie à Consiliis Com-  
missionum, Circulo Variscorum Praefecto & Accisa-  
rum Generalium Inspectore, de singulis muneribus,  
dum vivebat, optimè merente, sed novem iam abhinc  
annis beatè defuncto; Matre, Nobilissimâ Matronâ,  
**ANNA ELISABETHA**, ex Gente DOERINGIA, adhuc  
superstite, quam, ut propitium Numen diutissimè so-  
spitem ipsi filio servet, calidis votis precatur. Avus  
Paternus fuit **B. CHRISTIANVS GERARDVS CON-**  
**RADI**, Senator ac Poligraphus Cygneus; Proavus **B.**  
**ANDREAS CONRADI**, J. U. D. & Praetor Cygneo-  
rum Gravissimus: Avus Maternus extitit **Vir Prænō-**  
bilis atque Consultissimus, **B. ZACHARIAS DOERIN-**  
**GIVS**, J. V. D. Torgaviensium Consul quondam meri-  
tissimus. Dum autem Majores nomino, ipsius Patrius  
major quoque silendus non est **Vir Prænobilis**, Excel-  
lentissimus **B. GEORGIVS ANDREAS CON-**  
**RADI**, Hereditarius Zechaviæ & reliquorum, Poten-  
tiss. Regi Polon. & Seren. El. Sax. à Consiliis Appellatio-  
num, qui, B. Parente ipsi immaturâ morte erepto,  
Patrem sese affectu, patrocinio ac beneficiis post Ipsius  
etiam fata continuatis nostro præstitit, & Ipse mortali-  
bus rebus exemptus Viuam post se reliquit, Matrona-

rum primiceriam, Prudentiae Virtutumque laudibus excellentem, ANNAM ELISABETHAM, è splendida HORNIORVM Gente oriundam, Hereditariam Zechaviæ, Nieder-Auerbachii, Oberichaarii & reliquorum, Cujus in illo ipso studiisque ejus juvandis ac promovendis benignitatem singularem ac beneficia ei exhibita immortalibus gratiis colere, ac pro Ejus vita longævâ & perpetua felicitate vota concipere, gratæ nrentis leges istum jubent. A Dulcissimis suis Parentibus privatæ Praeceptorum institutioni commissus, cāque fideliter præparatus in Veterem illam Cygneorum scholam accedit. Ibi expolire & ad maturitatem aliquam perducere licuit, quæ jam initia ceperat in literis humanioribus, duce Viro Praeclarissimo, M. GEORGIO ANDREA VINHOLDO, Rectore & Bibliothecæ instructissimæ, ad Scholam spectanti, Præfecto, non minus eruditione, dexteritate ac fide in docendo, quam scriptis celebri; cuius prælectionibus privatissimis, Grotianis præsertim, ceterisque Philosophicis & literariis, latiores facilioresque in Academiâ progressus sese debere lubens profitetur. Multum quoque adjumenti cepere studia ejus scholastica ab egregiâ institutione Viri Clarissimi, M. MICHAELIS EHRENFRIED KRAVSI, tum Conrectoris Cygnei, jam apud Schoenavientes Pastoris fidelissimi. In Academiam Lipsiensem anno M DCC XX. delatus, primum Philosophicas Scholas Viri summè Reverendi atque Excellentissimi D. Jo. PHILIPPI OLEARII, Utr. Ling. Prof. P. itemque Celeberrimi D. ANDREÆ RIDIGERI frequentavit: tum in Historiâ Universali ab Illustris MENCKENII, Consiliařii Aulici & Historiographi Regii ac Historiar. P. P. ore

pe-

ex-  
ida  
Ze-  
uo-  
ro-  
ex-  
atæ  
en-  
cā-  
eo-  
ita-  
rat  
M.  
cæ  
on  
ām  
nis,  
ite-  
sus  
lju-  
tu-  
IED  
na-  
em  
cas  
mi  
que  
um  
lia-  
ore  
pe-

pependit, eodemque tempore prælectionibus Theolo-  
gicis & Historiæ Ecclesiasticae Magnifici sumimeque Re-  
verendi D. KLAWSINGII, Theol. P. P. ut & Clarissimi  
RVMPII, semet addixit. Scholas JCTorum Lipsiensium,  
primis legitima scientia elementis inter auditores  
Consultissimi B. D. SCHREITERI, Instit. P. P. & Academ.  
Syndici, imbutus, adiit, atque præludentibus, Viro Il-  
stri LÜDERO MENCKENIO, JCTorum Lipsiensium Præsi-  
de; Excellentissimis atque Consultissimis Viris, D. Jo.  
FRIDRICO OLEARIO, Cod. P. P. D. CAROLO OTTONE  
RECHENBERGIO, Pand. P. P. D. Jo. FLORENTE RIVINO,  
Inst. P. P. D. Jo. GOTOFREDO BAVERO, Juris Civilis, Ca-  
nonici, Feudalis iter emensus est; Juris Publici verò  
doctrinas ab Excellentissimo & Consultissimo D. Jo.  
JACOBO MASCOVIO, Senatore Lipsiensi & Bibliothecæ  
Senatoriae Præfecto, ut alia permulta studiorum incre-  
menta accepit, cum ejus exhortatione, consiliis atque  
benevolentia singulari frui ipsi, Academiam Lipsien-  
sem haud pridem ingresso, bono quodam fato sta-  
tim contigerit. Cumque incredibili cupiditate semper  
exoptasset, innoxium illud & tranquillum vitæ genus  
ali quando vivere, quo utuntur, qui studiosæ juventuti  
in Academiis docendo vacant, eā de causâ anno  
M DCC XXII. honores Philosophicos, editis specimi-  
nibus necessariis, ab Amplissimo Philosophorum Li-  
psiensium Ordine impetravit, annoque in sequenti, ha-  
bitâ, se Præside, disputatione: *de Jure Provocationum*  
*ex Antiquitate Romana*; respondentे *Jo. Casparo Riese*,  
jura Magistri Lipsiensis ritu veteri plenè est consecutus.  
Postea quoque, progressibus in arte juris factis, publi-  
co specimine comprobatis, dissertatione juridicâ:

de

*de donationibus inter Conjuges Saxonicos, moto concursu cre-  
ditorum invalidis, hoc ipso anno pro Loco in Facultate  
Philosophica Lipsiensi obtinendo, de Diis Heredibus  
apud Romanos, disputavit. Cœpit inde explicando do-  
ctrinas Philosophicas, præsertim disciplinam Juris Na-  
turæ & Gentium, tradendoque Historiam & Antiqui-  
tates Juris Romani, quin & prælectionibus privatissimis  
Juris, commilitonibus inservire: jamque è re esse put-  
tavit, ut docendi ac profitendi jura facultatem una cum  
supremis in utroque jure Honoribus à nostrâ Facultate  
in hac Alma atque perantiquâ Hieranâ rogaret. Ut  
igitur servato, secundum Facultatis Statuta, ordine, Im-  
ploranti morem gereremus, habendi rigorosi Examini  
ergò designavimus binos ex utroque Canon. & Civili Ju-  
re textus, quos resolvendos comunicavimus; eos Juris-  
prudentiæ principiis convenienter methodicè atq; eru-  
dite coram declaravit atque Dn. Examinatoribus affatim  
satisfecit; declaratus itaque est confessi Juris utriusque  
Candidatus, Ipsique oblata facultas est, publicè auspi-  
candi Specimina; quibus destinata craftina dies 31. Dec.  
horis consuet. in Auditor. JCtor. Collegii maj. & qui-  
dem Cursoriæ Lectioni ad §. ult. L. 15. ff. de usufi. &  
quemadmodum, quis utar. fruat. Disputationi inaugurali:  
ACTOREM, QVI FVNDI PETITIONEM HABET, SATISDARE CO-  
GENDVM. Hos publicos actus ut maximè Reverend.  
Generosiss. & Magnificus Dn. Universitatis RECTOR,  
Proceres & Jurispr. strenui Cultores cohonestare di-  
gnentur, officiosè & amicè invitantur. Publ. Erfurti  
sub Facult. Jurid. Sig. 30. Decembr. M DCC XXV.*

(L. S.)


Erfurt, Diss., 1725-26


ULB Halle  
005 367 786

3



vD18





B.I.G.

Black

FACVL TATIS JVRIDICÆ  
IN ALMA AC PERANTIQVA VNIVERSI-  
TATE ERFORDIENSI  
XXV.  
1725/10  
240. 10  
DECANVS,  
JOH. HENRICUS  
Seier, JC TVS,

ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIAR. DECRE-  
TAL. PROF. PVBL. VNIVERSIT. SENIOR,  
NEC NON JVDIC. PROVINC.  
ASSESS. PRIMAR.

LECTORI BENEVOLO

S. & O.

*de usus fonte*

ERFORDIAE,  
TYPIS GROSCHIANIS, ACAD. TYPOGR.